

A
B
C
D
E
F
G

tuendo, reum principalem non liberat⁷⁶. — § 1. Minor ancillam vendidit, si eam emptor manumiserit⁷⁷, ob hoc in integrum restitui non poterit: sed adversus emptorem, quanti sua interest, actionem habebit. — § 2. Mulier minor vigintiquinque annis, si pactione dotis⁷⁸ deterior conditio ejus fiat, et tale pactum inierit, quod nunquam majoris aetatis constitutae paciscerentur, atque ideo revocare velit, audienda est.

49. ULPIANUS, lib. 35, ad Edictum.

Si res pupillaris vel adolescentis distracta fuerit, quam lex distrahi ea prohibet: venditio quidem valet, verumtamen, si grande⁷⁹ damnum pupilli vel adolescentis versatur, etiamsi⁸⁰ collusio non intercessit, distractio per in integrum restitutionem revocatur.

50. POMPONIUS, lib. 9 Epistolarum [et variarum Lectionum].

Inius Diophantus Pomponio suo salutem. Minor viginti quinque annis novandi⁸¹ animo intercessit pro eo⁸², qui temporali actione tenebatur tunc, cum adhuc supererat decem dies, et postea in integrum restitutus est: utrum restitutio, quae creditori adversus priorem debitorem datur, decem dierum sit, an plenior? Ego didici, ex tempore in integrum restitutionis tantundem temporis praestandum⁸³, quantum supererat: tu quid de eo putas, velim rescribas. Respon. Sine dubio quod de temporali actione, in qua intercessit minor, sensisti, puto verius esse: ideoque et pignus, quod dederat prior debitor, manet obligatum.

TIT. V.

DE CAPITE MINUTIS.

1. GAIVS, lib. 4, ad Edictum provinciale.

Capitis minutio est, status permutatio.

2. ULPIANUS, lib. 12, ad Edictum.

Pertinet hoc edictum ad eas capitis deminutiones, quae salva civitate contingunt: ceterum sive amissione civitatis, sive libertatis amissione contingit capitis deminutio, cessabit edictum: neque possunt hi penitus conyeniri: dabitur plane actio in eos, ad quos bona pervenerunt eorum. — § 1. Ait praetor: *Qui quove, posteaquam quid cum his actum, contractumve sit, capite deminuti deminutivae esse dicentur, in eos easse perinde quasi id factum non sit, iudicium dabo.* — § 2. Hi, qui capite minuuntur, ex his causis, quae capitis deminutionem praecesserunt, manent obligati naturaliter²: ceterum si postea, imputare quis sibi debet, cur contraxerit, quantum ad verba hujus edicti pertinet: sed interdum, si contrahatur cum his post capitis deminutionem, danda est actio: et quidem, si adrogatus sit, nullus labor: nam perinde obligabitur, ut filiusfamilias. — § 3. Nemo delictis exiit, quamvis capite minutus sit³. — § 4. Ei, qui debitorem suum adrogavit, non restituitur actio in eum, postquam sui juris fiat. — § 5. Hoc iudicium perpetuum est, et in heredes, et heredibus datur.

3. PAULUS, lib. 11, ad Edictum.

Liberos, qui adrogatum parentem sequuntur, placet minui caput, cum in aliena potestate sint, et cum familiam mutaverint⁴. — § 1. Emancipato filio, et ceteris personis capitis minuto manifesto accidit: cum emancipari nemo possit, nisi in imaginariam⁵ servilem causam deductus. Aliter atque cum servus manumittitur: quia servile caput nullum jus habet⁶: ideo nec minui potest.

4. MODESTINUS, lib. 1 Pandectarum.

Hodie enim incipit statum habere.

5. PAULUS, lib. 11, ad Edictum.

Ammissione civitatis fit capitis minutio, ut in aqua et igni⁷ interdictione. — § 1. Qui deficiunt, capite minuuntur: deficiunt autem dicuntur, qui ab his, quorum sub imperio sunt, desistunt, et in hostium numerum se conferunt⁸: sed et hi, quos senatus *hostes* iudicavit, [vel] lege lata: utique usque eo ut civitatem amittant. — § 2. Nunc respiciendum, quae capitis deminutione pereant: et primo de ea capitis deminutione, quae salva civitate accidit, per quam publica jura non interverti constat: nam manere magistratum, vel senatorem, vel iudicem, certum est.

76. In ult. infr. eod. — 77. L. 11, in pr. supr. eod.; L. 1, 2, 3, C. si advers. libert. — 78. L. 9, 2, 4, supr. h. t. — 79. L. 3, C. si advers. vend. pign.; L. 1, C. de praed. et alii reb. minor. — 80. Adde L. 47, in pr. et L. 15, in fin. supr. h. t. — 81. L. 27, § 3, supr. eod. — 82. Adde L. 45, in pr. supr. eod.; L. 10, § 1, C. de reputat. quae fiunt. — 83. Adde L. 25, § fin. infr. ad St. Vellei.

Tit. V. — 1. Lib. 1, Inst. 16. — 2. L. 8, infr. h. t. — 3. L. 7, § 1, infr. eod. — 4. § 2, Inst. de adopt. — 5. L. ult. C. de emancipat. § 6, Inst. quib. mod. jus patr. potest. — 6. L. 32, infr. de reg. jur. § 4, Inst. de capit. demin. — 7. L. 1, § 2, infr. de legat. § 1, L. 2, § 1, infr. de pen. — 8. L. 19, § 7, infr. de captiv. et postlim. obli. L. 15, infr. de tutel. — 9. L. 1, § 2, 3,

6. ULPIANUS, lib. 51, ad Sabinum.

Nam et cetera officia, quae publica sunt, in eo non finiuntur: capitis enim minutio, privata hominis et familiae ejus jura, non civitatis, amittit.

7. PAULUS, lib. 11, ad Edictum.

Tutelas etiam non amittit capitis minutio: exceptis his, quae in *jure alieno* personis positae deferuntur: igitur testamento dati, vel ex lege, vel ex senatusconsulto, erunt nihilominus tutores. Sed legitima tutela ex duodecim tabulis intervertitur, eadem ratione, qua et hereditas exinde legitima: quia adgnatus deferuntur, qui desinunt esse, familia mutati. Ex novis autem legibus et hereditas et tutela plerumque sic deferuntur, ut personae naturaliter designentur: ut ecce, deferunt hereditatem senatusconsulta matri, et filio. — § 1. Injuriarum, et actionum ex delicto venientium obligationes cum capite ambulant⁹. — § 2. Si libertate adempta, capitis deminutio subsequuta sit, nulli restitutioni adversus servum locus est: quia nec praetoria jurisdictione ita servus obligatur, ut cum eo actio sit: sed utilis actio adversus dominum danda est, ut Julianus scribit: et nisi in solidum defendatur, permittendum mihi est in bona, quae habuit, mitti. — § 3. Item cum civitas amissa est, nulla restitutionis aequitas est adversus eum, qui amissis bonis, et civitate relicta, nudus exulat.

8. GAIVS, lib. 4, ad Edictum provinciale.

Eas obligationes, quae naturalem¹⁰ praestationem habere intelliguntur, palam est capitis deminutione non perire¹¹: quia *civilis ratio naturalia jura corrumpere non potest*¹². Itaque de dote actio, quia in bonum et aequum concepta est¹³, nihilominus durat etiam post capitis deminutionem.

9. PAULUS, lib. 11, ad Edictum.

Ut quandoque emancipata agat¹⁴.

10. MODESTINUS, lib. 8 Differentiarum.

Legatum in annos singulos¹⁵, vel menses [singulos] relictum, vel si habitatio legetur, morte¹⁶ quidem legatarii legatum intercidit, capitis deminutione tamen interveniente, perseverat: videlicet, quia tale legatum in¹⁷ factio potius, quam in jure, consistit.

11. PAULUS, lib. 2, ad Sabinum.

Capitis deminutionis tria genera sunt¹⁸: maxima, media, minima: tria enim sunt, quae habemus, libertatem, civitatem, familiam. Igitur, cum omnia haec amittimus, hoc est, libertatem, et civitatem, et familiam, *maximam* esse capitis deminutionem: cum vero amittimus civitatem, libertatem retinemus, *mediam* esse capitis deminutionem: cum et libertas, et civitas retinetur, familia tantum mutatur, *minimam* esse capitis deminutionem constat.

TIT. VI.

EX QUIBUS CAUSIS MAJORES [VIGINTIQUINQUE ANNIS] IN INTEGRUM RESTITUUNTUR¹.

1. ULPIANUS, lib. 12, ad Edictum.

Hujus edicti causam nemo non justissimam esse constituitur: laesum enim jus per id tempus, quo quis reipublicae² operam dabat, vel adverso casu laborabat, corrigitur, necnon et adversus eos succurritur: ne vel ob sit, vel prosit quod evenit. — § 1. Verba autem edicti talia sunt: *Si cuius quid de bonis, cum is metu³, aut sine dolo [malo⁴],] reipublicae causa abesset: inve vinculis⁵, servitute⁶, hostiumque potestate esset⁷ sive cuius actionis eorum cui dies exisse dicitur⁸. Item, si quis quid usu suum fecisset, aut, quod non utendo amisit, co secutus⁹, actione, qua solutus ob id, quod dies ejus exierit, cum absens non defendereat, inve¹⁰ vinculis esset, secumve¹¹ agendi potestatem non faceret: aut cum eum invitum¹² in jus vocari non liceret, neque defenderetur, [cumve magistratus de ea re appellatus esset, sive¹³ cui] pro magistratu, sive dolo ipsius actio exempta esse dicitur, earum rerum actionem intra annum¹⁴ quo primum de ea re experiundi potestas erit. Item si qua¹⁵ alia mihi causa justa esse videbitur, in integrum resti-*

supr. h. t. — 10. d. L. 2, § 2. — 11. L. 58, § pen. infr. pro socio. — 12. L. 1, § 1, infr. de usufr. ear. rer. — 13. § 29, Inst. de action. — 14. L. 28, § 3, supr. de pact. — 15. L. 4, § 1, in fin. infr. de annua et mens. legat. — 16. L. 11, C. de usuar. — 17. L. 24, infr. de reg. jur. — 18. L. 6, § 2, infr. de iust. rupt. irrit. factio testam.

Tit. VI. — 1. Lib. 2, C. 34. — 2. L. 4, L. 50, in fin. infr. h. t. — 3. L. 2, in fin.; L. 3, infr. eod. — 4. L. 4, L. 5, in pr. infr. eod. — 5. L. 9, L. 10, infr. eod. — 6. L. 11, L. 12, infr. eod. — 7. L. 14, L. 15, infr. eod. — 8. L. 40, infr. eod. — 9. L. 21, infr. eod. — 10. L. 25, infr. eod. — 11. d. L. 25, § ult.; L. 24, 25, 26, infr. eod. — 12. L. 25, § 1, infr. eod. — 13. d. L. 26, § 4 et seq. — 14. Hoc mutatum L. ult. C. de tempor. in integr. restit. — 15. d. L. 26, § ult.

tuam, quod ejus per leges, plebiscita, senatusconsulta, edicta, decreta principum, licebit¹⁶.

2. CALLISTRATUS, lib. 2 Edicti monitorii.

Hoc edictum, quod ad eos pertinet, qui eo continentur, minus in usu frequentatur: hujusmodi enim personis extra ordinem jus dicitur ex senatusconsultis, et principalibus constitutionibus. — § 1. Hoc autem capite adjuvantur in primis hi, qui *metus causa afuissent*: scilicet si non supervacuo timore deterriti afuissent.

3. ULPIANUS, lib. 12, ad Edictum.

Metus autem causa abesse videtur, qui justo¹⁷ timore mortis, vel cruciatus corporis conterritus abest: et hoc ex effectu ejus intelligitur. Sed non sufficit quolibet terrore abductum timuisse, sed hujus rei discretio iudicis est.

4. CALLISTRATUS, lib. 2 Edicti monitorii.

Item hi, qui *reipublicae causa, sine dolo malo afuissent*. Dolum malum eo pertinere accepi, ut qui reverti potest, neque reverteretur, in eo, quod per id tempus adversus eum factum est, non adjuvetur: veluti, si alterius grandis commodi captandi¹⁸ gratia id egerit, ut reipublicae causa abesset, [et] revocatur ab isto privilegio.

5. ULPIANUS, lib. 12, ad Edictum.

Et qui data opera et sine lucro¹⁹ hoc affectaverit, vel qui maturius profectus est, vel litis²⁰ gratia caput reipublicae causa abesse. Sed haec adjectio *doli mali* ad reipublicae causa absentes refertur, non [etiam] ad eum, qui metus causa: quoniam nullus metus est, si dolo intercedit. — § 1. Sed qui Romae, reipublicae [causa] operam dant, reipublicae causa non absunt:

6. PAULUS, lib. 12, ad Edictum.

Ut sunt magistratus²¹.

7. ULPIANUS, lib. 12, ad Edictum.

Milites plane, qui Romae militant, pro reipublicae causa absentibus habentur.

8. PAULUS, lib. 3 Brevium.

Legatis²² quoque municipiorum succurritur²³ ex principum Marci et Commodi constitutione.

9. CALLISTRATUS, lib. 2 Edicti monitorii.

Succurritur etiam ei, qui in *vinculis fuisse*. Quod non solum ad eum pertinet, qui publica custodia coercetur, sed ad eum quoque, qui a latronibus aut praedonibus, vel potentiore vi oppressus, vinculis coercetur. *Vinculorum* autem appellatio latius accipitur: nam etiam inclusos, veluti lautumias, vincutorum numero haberi placet²⁴: quia nihil intersit, parietibus, an compedibus teneatur. Custodiam autem solam publicam accipi Labeo putat.

10. ULPIANUS, lib. 12, ad Edictum.

In eadem causa sunt, et qui a militibus, statoribusque, vel a municipalibus ministeriis adservantur, si probentur rei suae superesse non potuisse. In vinculis autem etiam eos accipimus, qui ita alligati sunt, ut sine dedecore in publico parere non possint.

11. CALLISTRATUS, lib. 2 Edicti monitorii.

Ei quoque succurritur, qui in *servitute fuerit*, sive bona fide serviat homo liber, sive detentus sit.

12. ULPIANUS, lib. 12, ad Edictum.

Is autem, qui de statu suo litigat, ex quo lis inchoata est²⁵, hoc edicto non continetur: tandiu igitur in servitute esse videtur, quamdiu non est ejusmodi lis coepta.

13. PAULUS, lib. 12, ad Edictum.

Recte Labeo ait, cum non contineri, qui liber et heres institutus sit, antequam sit heres: quia nec bona habeat, et praetor de liberis hominibus loquatur. — § 1. Puto tamen filiumfamilias in castrensi peculio pertinere ad hoc edictum.

14. CALLISTRATUS, lib. 2 Edicti monitorii.

Item ei succurritur²⁶, qui in *hostium potestate fuit*, id est, ab hostibus captus. Nam transfugas²⁷ nullum credendum esse beneficium tribui,

16. L. 28, § 3, infr. eod. — 17. L. 9, infr. de extraordin. crimin. — 18. L. 56, L. 45, infr. h. t. — 19. d. L. 36. — 20. L. 1, § 1, C. qui militare possunt. — 21. L. 52, L. 58, infr. h. t. — 22. L. 1, C. eod. — 23. L. 26, § fin. infr. eod. — 24. Adde L. 23, § 1, infr. h. t.; L. 216, infr. de verb. sign. — 25. L. 24, in pr. infr. de liberali caus. — 26. § 5, Inst. de action. — 27. L. 19, § 4, infr. de captiv. et postlimin. — 28. L. 55, in pr. supr. de procur. — 29. L. 11, in fin. pr. infr. de captiv. et postlimin. — 30. L. 6, in fin. infr. de tutel. L. 6, in fin. infr. quib. ex caus. in potest. — 31. L. 15, infr. de captiv. et postlimin. — 32. L. ult. C. de resit. milit. — 33. L. 5,

quibus negatum esse postliminium. Poterant tamen, qui in hostium potestate essent, illa parte edicti contineri, qua loquitur de his, qui in servitute fuerint.

15. ULPIANUS, lib. 12, ad Edictum.

Ab hostibus [autem] captis postliminio reversis succurritur, aut ibi mortuis: quia nec procuratorem habere possunt: cum aliis superscriptis [etiam] per procuratorem possit subveniri, praeter eos, qui in servitute detinentur²⁸. Ego autem, etiam nomine ejus, qui hostium politus²⁹ est, si curator³⁰ (ut plerumque fuerit bonis constitutus, auxilium competere existimo. — § 1. Non minus autem ab hostibus capto, quam ibi³¹ nato, qui postliminium habet, succursum videtur. — § 2. Si damni infecti missus sit in aedes militis, si quidem praesente eo jussit praetor possideri, non restituitur³²: sin vero absente eo, dicendum subveniri ei debere. — § 3. Sed quod simpliciter praetor edixit, *Postcave*, ita accipiendum est, ut, si inchoata sit bonae fidei possessoris detentatio³³ ante absentiam, finita autem reverso, restitutionis auxilium locum habeat: non quandoque, sed ita demum, si intra modicum tempus, quam rediit, hoc contigit: id est, dum hospitium quis conducit, sarcinulas componit, querit advocatum³⁴: nam eum, qui differt restitutionem, non esse audiendum Neratius scribit.

16. PAULUS, lib. 12, ad Edictum.

Non enim negligentibus subvenitur³⁵, sed necessitate rerum impeditis³⁶. Totumque istud arbitrio praetoris temperabitur: id est, ut ita demum restituat, si non negligentia, sed temporis angustia non poterunt litem contestari.

17. ULPIANUS, lib. 12, ad Edictum.

Julianus libro quarto scribit, non solum adversus possessorem hereditatis succurrendum militi, verum adversus eos quoque, qui a possessore emerunt³⁷, ut vindicari res possint, si miles hereditatem adgoverit: quod si non adgoverit, ex postfacto usucapionem processisse manifesta- tur. — § 1. Eum quoque cui sic legatum sit, [vel] in annos singulos, quibus in Italia esset, restituendum, ut capiat, atque si in Italia fuisset³⁸, et Labeo scribit, et Julianus lib. 4, et Pomponius lib. 31, probant: non enim dies actionis exiti, ubi praetoris auxilium necessarium erat, sed conditio in causa est.

18. PAULUS, lib. 12, ad Edictum.

Sciendum est, quod in his casibus restitutionis auxilium majoribus damus, in quibus rei duntaxat persequenda gratia queruntur, non cum et lucri faciendi ex alterius poena, vel damno; auxilium sibi imperitari desiderant.

19. PAPINIANUS, lib. 3 Questionum.

Denique si emptor prius, quam per usum³⁹ sibi acquireret, ab hostibus captus sit, placet interruptam possessionem postliminio non restitui: quia haec sine possessione non constitit: possessio autem plurimum facti⁴⁰ habet: causa vero facti non continetur⁴¹ postliminio⁴².

20. Idem, lib. 15 Questionum.

Nec utilem actionem ei tribui oportet: cum sit iniquissimum auferre domino, quod usus non abstulit: neque enim intelligitur amissum, quod ablatum alteri non est.

21. ULPIANUS, lib. 12, ad Edictum.

Item ait praetor: *Si quis usu suum fecisset, aut, quod non utendo sit amissum, consecutus, actione, qua solutus ob id, quod dies ejus exierit, cum absens non defenderetur*. Quam clausulam praetor inseruit, ut quemadmodum succurrit supra scriptis personis, ne capiantur, ita et adversus ipsas succurrit, ne capiantur⁴³. — § 1. Et erit notandum, quod plus praetor expressit, cum adversus eos restituit, quam cum ipis subvenit: nam hic non certas personas enumeravit, adversus quas subvenit, ut supra, sed adiecit clausulam, qua omnes, qui absentes non defenduntur, complexus est. — § 2. Haec autem restitutio locum habet, sive per se, sive per subjectas sibi personas usu adquisierunt, qui absentes non defendebantur: et ita, si nemo eorum [erat] defensor. Nam si fuit procurator, cum habueris, quem convenias, non debet inquietari. Ceterum, si non existeret defensor, acquirissimum erat subveniri: eo potius, quod [eorum], qui non defenduntur, si quidem latitent, praetor ex edicto pol-

in pr. ver. manebit igitur, infr. de impens. in res dotales. — 34. L. 25, in fin. infr. h. t. — 35. L. 21, in fin. infr. quae in fraud. credit. — 36. L. 26, in fin. infr. h. t.; L. 65, § pen. infr. ad St. Trebell. — 37. L. 15, § 1, L. 15, supr. de minoribus. — 38. L. 41, § 1, infr. h. t. — 39. L. 20, infr. eod. — 40. L. 1, § 2, in fin. L. 29, infr. de acquir. vel amit. possess. Immo etiam L. 49, in fin. pr. infr. d. t. — 41. L. 25, § 1, infr. h. t.; L. 25, § 1, infr. de acquir. vel amit. possess. L. 11, L. 45, in pr.; L. 44, in fin. infr. de usurp. et usucap. L. 12, § 2, infr. de captiv. et postlimin. — 42. L. 19, in pr. infr. d. t. — 43. L. 22, § 1, infr. h. t.; L. 140, infr. de reg. jur.

A
B
C
D
E
F
G
H
I
L

licetur⁴⁴ in bona eorum mittere, ut si res exegerit, etiam distrahan- tur: si vero non latitent, licet non defendantur, in bona tantum mitti. — § 3. *Defendi* autem non is videtur, cuius se defensor ingerit⁴⁵, sed qui requisitus ab actore, non (est) defensionem defuturus: *Plenaque de- fensio*⁴⁶ accipietur, si et iudicium non detrectetur, et iudicium⁴⁷ solvi satisfidetur.

22. PAULUS, lib. 12, ad Edictum.

Ergo sciendum est, non aliter hoc edictum locum habere, quam si amici ejus interrogati fuerint, *an defendant*: aut si nemo sit, qui inter- rogari potest: ita enim absens defendi non videtur, si actor ultro inter- pellat, nec quisquam defensionem se offerat: eaque testatione complecti oportet. — § 1. Sicut igitur damno eos adfici non vult, ita lucrum facere non patitur⁴⁸. — § 2. Quod edictum etiam ad furiosos, et infantes⁴⁹, et civitates⁵⁰ pertinere Labeo ait.

23. ULPIANUS, lib. 11, ad Edictum.

Ait praetor, *inve vinculis esset, [secumve ago di potestatem non fa- ceret]*. Haec persona merito adjecta est: fieri enim poterat, ut quis in vinculis praesens esset, vel in publica, vel in privata vincula ductus: nam et eum, qui in vinculis est, si modo non sit in servitute, posse usu adquirere constat. Sed et si quis in vinculis est, si defendatur, cessat restitutio. — § 1. Is autem, qui apud hostes est, nihil per usum sibi adquirere potest, nec ceptam possessionem poterit implere, dum est apud hostes: hoc amplius nec postliminio reversus recuperabit per usum domini acquisitionem⁵¹. — § 2. Item ei, qui per captivitatem fundi possessionem, vel usufructus quasi possessionem amisit, succurrendum esse Papinianus ait: et fructus⁵² quoque medio tempore ab alio ex usu- fructu perceptos debere captivo restitui, aequum putat. — § 3. Hi plane, qui fuerunt in potestate captivi, usu rem adquirere possunt⁵³ ex re pec- ualiari et aequum erit, ex hac clausula praesentibus, [id est, qui non sunt in captivitate] subveniri: si, cum non defenderentur, usucaptum quid sit. Sed et si dies actionis, quae adversus captivum compete- bat, exierit, succurratur adversus eum. — § 4. Deinde adicit praetor, *se- cumve agendi potestatem non faceret*: ut, si, dum hoc faciat, per usum adquisitio impleta, vel quid ex superscriptis contigit, restitutio concedatur: merito. Nec enim sufficit semper in possessionem honorum ejus mitti: quia [ea] interdum species esse potest, ut in bonis latitantis mitti non possit, aut non latitet: finge enim, dum advocacione postulat⁵⁴, diem exisse: vel dum alia mora iudicii contingit.

24. PAULUS, lib. 12, ad Edictum.

Sed et ad eos pertinet, qui conventi frustrantur, et qualibet tergiver- satione et solertia efficiunt, ne cum ipsis agi possit.

25. GAIUS, lib. 4, ad Edictum provinciale.

Quod quidem simili modo ad eum quoque pertinere dicemus, qui⁵⁵ non frustrandi gratia id faceret, sed quod multitudine rerum distringeretur.

26. ULPIANUS, lib. 12, ad Edictum.

Sed et si per praetorem⁵⁶ stetit, restitutio indulgebatur. — § 1. Ad- versus relegatum restitutionem faciendam ex generali clausula Pomponius ait: sed non et ipsi concedendam: quia potuit procuratorem relinquere: ex causa tamen puto etiam ipsi succurrendum⁵⁷. — § 2. Ait praetor, *aut cum eum invitum⁵⁸ in jus vocare non liceret, [neque defenderetur]*: haec clausula ad eos pertinet, quos more majorum sine fraude⁵⁹ in jus vocare non licet, ut consulem, praetorem, ceterosque, qui imperium, potestatemve quam habent. Sed nec ad eos pertinet hoc edictum, quos praetor prohibet sine permissu suo⁶⁰ vocari (quoniam aditus potuit per- mittere): patronos puta, et parentes. — § 3. Deinde adicit, *neque de- fenderetur*: quod ad omnes superscriptos perinet, praeterquam ad eum, qui absens quid usucepit: quoniam plene supra de eo cautum est. — § 4. Ait praetor: *sive cui per magistratus⁶¹ sine dolo malo ipsius actio exempta esse dicitur*. Hoc quo? ut si per dilationes iudicis effectum sit, ut actio eximatur, fiat restitutio. Sed et si magistratus copia non fuit, Labeo ait restitutionem faciendam. *Per magistratus* autem factum ita accipiendum est, si jus non dixit: alioquin si causa cognita⁶², denegavit actonem, restitutio cessat: et ita Servio videtur. Item, [per] magistratus factum videtur, si per gratiam, aut sordes magistratus jus non dixerit. Et haec pars locum habet: necnon et superior, *secumve agendi potestatem non faciat*; nam id legit litigator, ne secum agatur,

44. L. 7. § 1. infr. quib. ex caus. in possess. — 45. L. 25. supr. de procurat. — 46. L. 63. infr. de iudic. l. 3. § 2. ult. infr. quib. ex caus. in possess. — 47. L. 118. § 1. infr. de reg. jur. — 48. L. 21. in pr. supr. h. t. — 49. L. 2. C. de anual. except. — 50. L. 4. C. h. l. — 51. L. 19. in fin. supr. h. t. — 52. L. 28. in fin. infr. cod. — 53. L. 15. in pr. infr. de usurpat. et usucap. — 54. L. 15. in fin. supr. h. t. L. 21. infr. de usur. — 55. L. 19. infr. de testib. — 56. § 2. 4. infr. h. l. — 57. L. 40. in fin. infr. h. t. — 58. L. 2. supr. de ius vocand. l. 12. infr. iudic. solvi. — 59. L. 32. infr. de injur.; L. 8. infr. de accusat. — 60. L. 4. § 1. supr. de ius iudic. solvi. — 61. In pr. supr. hic; L. 1. supr. h. t. — 62. § 6. vers. sed et si infr. h. l. — 63. L. 154. in fin. infr. de reg. jur. — 64. L. 3. C. de dilatio. — 65. L. 51. vers. culpam au- tem infr. ad leg. Aquil. — 66. L. 1. in fin. supr.; L. 28. in pr.; L. 35. in pr. infr. h. t.; L. 7. supr. de in integr. restit. — 67. L. 12. supr. de legib. — 68. L. 8. supr. h. t. — 69. Obstat. L. 39. infr. cod. — 70. L. 2. § 3. infr. de iudicis. — 71. L. 1. infr. eum. qui appellaverit. — 72. L. 10. C. quomodo et quando iudex. — 73. Adde Auth. habita. C. ne filius pro patre. — 74. L. 1. 2. C. qui etate vel profess. — 75. L. 18. supr. h. t.; L. 140. infr. de reg. jur.

dum iudicem corrumpit. — § 5. *Actio exempta* sic erit accipienda, si desit agere posse. — § 6. Et adicitur, *sine dolo malo ipsius*: videlicet ut, si dolus ejus intervenit, ne ei succurratur: ipsis enim delinquentibus praetor non subvenit⁶³. Proinde, si, dum vult apud sequentem praetorem agere, tempus frustratus est, non ei subvenietur. Sed et si dum decreto praetoris non obtemperat, jurisdictionem ei denegaverit, non esse eum restituendum Labeo scribit. Idemque, si ex alia iusta causa non fuerit ab eo auditus. — § 7. Si feriae extra ordinem sint indictae, ob res puta prospere gestas, vel in honorem principis, et propterea magistratus jus non dixerit, Gaius Cassius nominatim edicebat restitutum se: quia per praetorem videbatur factum: solennium⁶⁴ enim feriarum rationem praetorem videbatur factum: quia⁶⁵ prospicere eas potuerit, et debuerit actor, haberi non debere: quia⁶⁶ restituere eas potuerit, et debuerit actor, ne in eas incidat: quod verius est, et ita Celsus lib. 2 Digestorum scribit. Sed cum feriae tempus eximunt, restitutio duntaxat ipsorum dierum facienda est, non totius temporis: et ita Julianus lib. 4 Digestorum scribit: ait enim, rescissionem usucapionis ita faciendam, ut hi dies restituantur, quibus actor agere voluit, et inventa feriarum impeditus est. — § 8. Quotiens per absentiam quis non toto tempore aliquem exclusit, ut puta rem tuam possedi, uno minus die statuto in usucapioni- bus tempore, deinde reipublica causa abesse cepti, restitutio adversus me unius diei facienda est. — § 9. Item, inquit praetor: *Si qua alia mihi iusta causa videbitur, in integrum restituiam*⁶⁶. Haec clausula edicto inserta est necessario: multi enim casus evenire potuerunt, qui defer- renti restitutionis auxilium, nec singulatim enumerari potuerunt, ut quotiens aequitas restitutionem suggerit, ad hanc clausulam erit descen- dendum⁶⁷: ut puta legatione quis pro civitate functus est, aequissimum est eum restitui⁶⁸, licet reipublica causa non absit: et saepissime constitu- tum est, adjuvari eum debere, sive habuit⁶⁹ procuratorem, sive non. Idem puto et si testimonii⁷⁰ causa sit evocatus ex qualibet provincia, vel in urbem, vel ad principem: nam et hic saepissime est rescriptum sub- veniri. Sed et his, qui cognitionis gratia, vel appellationis⁷¹ peregrinati sunt, similiter subveniunt. Et generaliter quotiescunque quis ex⁷² neces- sitate non ex voluntate afit, dici oportet, ei subveniendum.

27. PAULUS, lib. 12, ad Edictum.

Et sive quid amiserit, vel lucratus non sit, restitutio facienda est, etiamsi non ex bonis quid amissum sit.

28. ULPIANUS, lib. 12, ad Edictum.

Necnon et si quis de causa probabili a fuerit, deliberare debet praetor, an ei subveniri debeat: puta studiorum⁷³ absentia, forte procuratore suo defuncto, ne decipiat per justissimam⁷⁴ absentiam causam. — § 1. Item si quis nec in custodia, nec in vinculis sit, sed sub fideiussorum satis- datione, et dum propter hoc recedere non potest, captus sit, restituetur: et adversus eum dabitur restitutio. — § 2. *Quod ejus*, inquit praetor, *per leges, plebiscita, senatusconsulta, edicta, decreta principum li- cebit*. Quae clausula non illud pollicetur, restitutum, si leges permit- tant: sed, si leges non prohibeant. — § 3. Si quis saepius reipublica causa afit, ex novissimo reditu tempus restitutionis esse ei computandum, Labeo putat. Sed si omnes quidem absentiae annum colligant, singula minus anno: utrum annum ei damus ad restitutionem, an vero tantum temporis, quantum novissima ejus absentia occupavit, videndum: et puto, annum dandum. — § 4. Si cum in provincia domicilium haberes, esses autem in urbe, an mihi annus cedat, quasi experiundi potestatem habeam? Et ait Labeo, non cedere. Ego autem puto, hoc ita verum, si *jus revocandi domum adversarii habuit*: si minus, videri esse experi- undi potestatem: quia et Romae contestari litem potuit. — § 5. Exem- plo rescissoriae actionis etiam applicatio ei, qui reipublica causa afit, competit: forte, si res ab eo possessionem nato vindicentur. — § 6. In actione rescissoria, quae adversum militem competit, aequissimum esse Pomponius ait, ejus quoque temporis, quo absens defensus non est, fructus eum praestare. Ergo et militi debebunt restitui: utrinque actio erit.

29. AFRICANUS, lib. 7 Quaestionum.

Videlicet ne cui officium publicum vel damno⁷⁵, vel compendio sit

30. PAULUS, lib. 12, ad Edictum.

Cum miles, qui usucapiebat, decesserit, et heres impleverit usucapio- nem, aequum est rescindi, quod postea usucaptum est: ut eadem in her- edibus, qui in usucapionem succedunt, servanda sint: *quia possessio*

vincendo. — 61. In pr. supr. hic; L. 1. supr. h. t. — 62. § 6. vers. sed et si infr. h. l. — 63. L. 154. in fin. infr. de reg. jur. — 64. L. 3. C. de dilatio. — 65. L. 51. vers. culpam au- tem infr. ad leg. Aquil. — 66. L. 1. in fin. supr.; L. 28. in pr.; L. 35. in pr. infr. h. t.; L. 7. supr. de in integr. restit. — 67. L. 12. supr. de legib. — 68. L. 8. supr. h. t. — 69. Obstat. L. 39. infr. cod. — 70. L. 2. § 3. infr. de iudicis. — 71. L. 1. infr. eum. qui appellaverit. — 72. L. 10. C. quomodo et quando iudex. — 73. Adde Auth. habita. C. ne filius pro patre. — 74. L. 1. 2. C. qui etate vel profess. — 75. L. 18. supr. h. t.; L. 140. infr. de reg. jur.

*defuncti, quasi juncta, descendit ad heredem*⁷⁶: et plerumque non- dum hereditate⁷⁷ adita completur. — § 1. Si is, qui reipublica causa afit, usucepit, et post usucapionem alienaverit rem, restitutio facienda erit⁷⁸: et licet sine dolo a fuerit, et usuceperit, lucro ejus occurrere oportet. Item ex reliquis omnibus causis restitutio facienda erit, veluti si adversus eum pronuntiatum sit.

31. Idem, lib. 53, ad Edictum.

Si is, cujus rem usucepit reipublica causa⁷⁹ absens, possessionem suae rei ab illo usucapite nactus sit: et si postea amiserit, non temporalem, sed perpetuam habet actionem.

32. MODESTINUS, lib. 9 Regularum.

Abesse reipublica causa intelligitur et is, qui ab urbe⁸⁰ profectus est, licet nondum provincia excesserit: sed is, qui excesserit, donec in urbem revertatur: et hoc ad proconsules, legatosque eorum, et adeos, qui provin- cias praesunt, procuratoresque⁸¹ principum. qui in provinciis tenentur, pertinet: et ad tribunos militum, et praefectos, et comites legatorum, qui ad aerarium [delati], aut in commentarium principis delati sunt.

33. Idem, lib. singul. de enucleatis Casibus.

Inter eos, qui ex generali⁸² clausula adjuvantur, et fisci patronus con- numeratur. — § 1. Eos, qui notis scribitur acta praesidium, reipublica causa non abesse certum est. — § 2. Militum medici⁸³, quoniam officium, quod gerunt, et publice prodest, et fraudem eis adferre non debet, restitutionis auxilium implorare possunt.

34. JAVOLENUS, lib. 18, ex Cassio.

Miles, commeatu⁸⁴ accepto, si domi suae est, reipublica causa abesse non videtur. — § 1. Qui operas in publico, quod vectigalium causa locatum est, dat, reipublica causa non abest⁸⁴.

35. PAULUS, lib. 3, ad legem Juliam et Papiam.

Qui mittuntur, ut milites ducerent, aut reducerent, aut legendi cura- rent, reipublica causa absunt. — § 1. Hi quoque, qui missi sunt ad gra- tulandum principi. — § 2. Item procurator⁸⁶ Caesaris, non solum cui rerum provincia cuiusque procuratio mandata erit, sed is, cui rerum, quamvis non omnium. Itaque plures ibi procuratores diversarum reipu- blicae causa abesse intelliguntur. — § 3. Praefectus quoque Aegypti repu- blicae causa abest, quae aliam ob causam reipublicae gratia extra urbem aberit. — § 4. Sed et in urbanicanis militibus idem divus Pius constituit. — § 5. Quaesitum est de eo, qui ad compescendos malos homines missus est, an reipublica causa abesset. Et placuit, reipublica causa eum abesse. — § 6. Item paganum, qui in expeditione consularis jussu transierat, ibi- que in acie ceciderat: heredi enim ejus succurrendum est⁸⁷. — § 7. Qui reipublica causa Romam profectus est, abesse reipublica causa videtur. Sed et si extra patriam suam reipublica causa profectus sit, etiamsi p r urbem et iter competit, reipublica causa abest. — § 8. Similiter qui in provincia est, ut primum aut domo sua profectus⁸⁸ est, aut cum in eadem provincia degit reipublica administrandae causa: simul agere rempublicam cepit, ad similitudinem absentis habetur. — § 9. Et dum eat in castra, et redeat, reipublica causa abest, quod et eundem sit in castra militaturo, et redeundum. Vivianus scribit, Proculum respon- disse, militem, qui commeatu absit, dum domum vadit, aut redit, rei- publicae causa abesse: dum domi sit, non abesse⁸⁹.

36. ULPIANUS, lib. 6, ad legem Juliam et Papiam.

Reipublica causa abesse eos solos intelligimus, qui non sui commodi causa⁹⁰, sed coacti absunt.

37. PAULUS, lib. 5, ad legem Juliam et Papiam.

Hi, qui in provincia sua, ultra tempus a constitutionibus concessum⁹¹, aisdent, publica causa abesse non intelliguntur.

38. ULPIANUS, lib. 6, ad legem Juliam et Papiam.

Si cui⁹² in provincia sua princeps adsidere speciali beneficio permi- serit, puto eum reipublica causa abesse: quod si non ex permissu hoc fecerit, consequenter dicemus, cum crimen⁹³ admisit, non habere eum privilegia eorum, qui reipublica causa absunt. — § 1. Tandiu repu- blicae causa abesse qui videbitur, quamdiu officio alicui praestet. Quod si finitum fuerit officium, jam desinit abesse reipublica causa⁹⁴. Sed ad revertendum illi tempora computabimus statim atque desit reipublicae

76. Obstat. L. 25. in pr. infr. de acquir. vel amit. possess. — 77. L. 40. infr. de usurpat. et usucap. — 78. L. 12. § 1. supr. de minor. — 79. L. 32. L. 34. L. 35. L. 45. infr. h. t. — 80. Adde L. 35. § 5. infr. cod. — 81. L. 35. § 2. — 82. L. 1. in fin. L. 15. § 2. ult. supr. h. t. — 83. L. ult. infr. de iure immunit. L. 1. C. de profess. et medic. — 84. L. 1. infr. de re militari. — 85. L. 35. infr. h. t. — 86. L. 32. supr. cod. — 87. L. 6. supr. de in integr. restit. — 88. L. 41. § 2. infr. de excusat. — 89. L. 84. in pr. supr. h. t. — 90. L. 42. infr. cod. — 91. L. 10. C. de assesso- rib. — 92. L. 37. supr. h. t. — 93. L. ult. C. de crimine sacerdot. — 94. L. 37. supr. h. t. — 95. L. 1. supr. si quis cautioib. — 96. L. 2. § 3. et seq. supr. d. t. — 97. L. ult. in fin. supr.

causa abesse, [ea.] quibus reverti in urbem potuit: et erit moderatum, tempora ei dare, quae lex revertentibus praestitit⁹⁵. Quare, si quo de- flexerit suae rei causa, non dubitamus id tempus ei non proficere: habi- taque dinumeratione temporis, quo reverti potuit, statim eum dicemus desisse reipublica causa abesse. Plane si infirmitate impeditus, conti- nuare iter non potuit, habebitur ratio humanitatis⁹⁶; sicuti haberi so- let et hiemis, et navigationis, et ceterorum, quae casu contingunt.

39. PAULUS, lib. 1 Sententiarum.

Is, qui reipublica causa afuturus erat, si procuratorem reliquerit⁹⁷ per quem defendi potuit, in integrum volens restitui non⁹⁸ auditur.

40. ULPIANUS, lib. 5 Opinionum.

Si qua militi accusatio competat, tempore⁹⁹, quo reipublicae operam dedit, non perimitur. — § 1. Quod eo tempore, quo¹⁰⁰ in insula ali- quis fuit ex poena ei irrogata, cujus restitutionem impetravit, ab alio usurpatum ex bonis, quae non erant adempta, probatum fuerit, suae causae restituendum est.

41. JULIANUS, lib. 35 Digestorum.

Si quis Titio legaverit, si mortis suae tempore¹ in Italia esset: aut in annos singulos, quoad in Italia esset, et ei succursum fuerit, quia ob id, quod reipublica causa afit, exclusus fuerit a legato, fideicom- missum ab eo relictum praestare cogitur. Marcellus notat: Quis enim du- bitavit, salva legatorum et fideicommissorum causa, militi restitui hereditatem, quam ob id perdidit, quod reipublica causa abfuit?

42. ALFENUS, lib. 8 Digestorum.

Non vere dicitur reipublica causa abesse [eum,] qui sui² privati ne- gotii causa in legatione est.

43. AFRICANUS, lib. 7 Quaestionum.

Si quis stipulatus sit in annos singulos, quoad⁵ in Italia esset vel ipse, vel promissor, et alteruter reipublica causa abesse coeperit, officium praetoris est, introducere utilem actionem. Eadem dicemus et si ita con- cepta stipulatio fuerit, si quinquennio proximo Romae fuerit, vel ita, si [Romae] non fuerit, centum dare spondes?

44. PAULUS, lib. 2, ad Sabinum.

Is, qui reipublica causa abest in aliqua re laesus, non restituatur, in qua⁴, etiamsi reipublica causa non affuisset, damnum erat passurus.

45. SCEVOLA, lib. 1 Regularum.

Milites omnes, qui discedere signis sine periculo non possunt, rei- publicae causa abesse intelliguntur.

46. MARGIANUS, lib. 2 Regularum.

Qui reipublica causa afit, etiam adversus eum, qui pariter rei- publicae causa a fuerit, restituendus est, si aliquid damni juste queritur.

TIT. VII.

DE ALIENATIONE, IUDICII MUTANDI CAUSA, FACTA.

1. GAIUS, lib. 4, ad Edictum provinciale.

Omnibus modis proconsul id agit, ne cuius deterior causa fiat ex alieno facto. Et, cum intelligeret iudiciorum exitum interdum duriorum [nobis] constitui, opposito nobis alio adversario, in eam quoque rem prospexit: ut si quis alienando rem alium nobis adversarium suo loco substituerit, idque data opera in fraudem nostram fecerit, tanti nobis in factum actione teneatur, quanti nostra intersit³, alium adversarium nos non habuisse. — § 1. Itaque si alterius provinciae hominem, aut potentiorum nobis opposuerit adversarium, tenebitur:

2. ULPIANUS, lib. 15, ad Edictum.

Aut alium, qui vexaturus sit adversarium:

3. GAIUS, lib. 4, ad Edictum provinciale.

Quia etiamsi cum eo, qui alterius provinciae sit, experiat, in illius⁵ provincia experiri debeo, et potentiori pares esse non possumus⁴. — § 1. Sed et si hominem, quem petebamus, manumiserit, durior nostra conditio sit, quia praetores faveant libertatibus⁶. — § 2. Item, si locum, in quo opus feceris, cuius nomine interdicto quod vi aut clam, vel actione aquae pluviae arcendae tenebaris, alienaveris⁶, durior nostra con-

de in integr. restit. — 98. Obstat. L. 26. § 1. supr. h. t. — 99. L. 2. C. de restit. milit. — 100. L. 26. § 1. supr. h. t. — 1. L. 17. § 1. supr.; L. 45. infr. cod. — 2. L. 36. supr. cod. — 3. L. 41. supr. cod. — 4. L. 24. § 1. supr. quod met. caus. L. 14. in fin. infr. depositi. — Tit. VII. — 1. Lib. 2. C. 55. — 2. L. 3. § pen. L. 4. § pen. infr. h. t. — 3. L. ult. C. ubi in rem actio. — 4. L. 1. § 1. vers. itaque supr. si ex novat. L. 4. in fin. infr. de recept. qui arbitri. L. 1. § 25. infr. de aqua et aquae pluviae. — 5. L. 24. infr. de manumis. — 6. L. 14. in fin. infr. de aqua et aquae pluviae.